



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Citriensi Electo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

concessas & hactenus observatas ratas habemus & eas perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat praefatam Ecclesiam temerè perturbare aut ejus possessiones auferre &c. Salva sedis apostolicae auctoritate & diocesanii Episcopi canonica iustitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona &c. usque ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco &c. usque in finem. Amen. Datum apud sanctum Germanum per manum Iohannis sanctae Mariae in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij VI. Idus Iulij Indiæ. XI. incarnationis dominicæ anno MCCVIII. pontificatus verò Domni Innocentij Papæ III. anno undecimo.

ARCHIEPISCOPO ET
Capitulo Atheniensis.

Epist. 114.
Decretum
de privilegio
Episcopi.
S Olet annuere &c. usque consensu, personas & Ecclesias vestras, cum omnibus bonis quæ in presentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis dante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & ea vobis ac per vos Ecclesiis vestris, sicut ipsa iuste ac pacificè possidetis, auctoritate apostolica confirmamus & presentis scripti patrocinio communitus. Nulli ergo &c. nostræ protectionis & confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum apud sanctum Germanum VI. Idus Iulij, anno undecimo.

ARCHIEPISCOPO ET
Capitulo Atheniensis.

Epist. 115.
Vt Ecclesia
Atheniensis
ordinetur
secundum
consuetudines
Ecclesie
Patriensis.
S Acrosancta Romana Ecclesia, cui disponente Domino praesidemus, eò efficacius exaudire suos subditos consuevit quò devotius suffragium ab ipsa requirunt. Quia igitur à nobis cum reverentia debita postulastis ut vestram Ecclesiam dignaremur secundum institutiones Parisiensis Ecclesiae ordinare, ac ejus consuetudines faceremus in ipsa firmiter observari, vobis portiones legitimas possessionum suarum, reddituum, & proventuum assignantes, certo Canonicorum numero, quem dilectus filius noster Benedictus tituli sanctae Susannae Presbyter Cardinalis tunc apostolicae sedis Legatus ibidem instituit, in suo robore remanente, nos postulacioni vestrae grato concurrentes assensu, universitati vestrae concedimus quatinus, si fieri potest absque detrimento ipsius Ecclesiae ac iusto scandalo cleri & populi ac terrae illius Principis, eam se-
Tom. II.

cundum consuetudinem Parisiensis Ecclesiae liberè ordinetis. Datum apud sanctum Germanum II. Idus Iulij, anno XI.

DIMICENSI EPISCOPO.

Epist. 114.
Episcopatus
Calidonensis
comendatur.
E X eo te sedi apostolicae reverentiam debitam perpendimus exhibere quòd praeter ipsius consilium & mandatum tibi jurisdictionem indebitam non usurpas, sed in his potiùs requiris gratiam ab eadem ad quæ quadam necessitate induceris requirenda. Sanè in nostra proposuisti praesentia constitutus quòd cum ad Dimicenis Ecclesiae regimen per electionem canonicam evocatus, quæ fuit per venerabilem fratrem nostrum Larissenum Archiepiscopum postmodum confirmata, non possis de ipsius redditibus sustentari, nobilis vir A. Comestabulus regni Thessalonicensis Princeps illius terrae tuae compatiens paupertati, episcopatum Calidonensem tuo contiguum tibi voluit assignare, cujus concessioni acquiescere minime voluisti nisi de nostra licentia speciali, sed nostram super eo misericordiam postulasti. Nos autem cum fratribus nostris deliberato consilio tibi duximus concedendum quatinus Dimicensem episcopatum tamquam tuum possidens, si fieri potest, absque detrimento Ecclesiae utriusque ac sine iusto scandalo cleri & populi & terrae illius Principis, tandiu episcopatum Calidonensem teneas & habeas commendatum donec per apostolicam sedem aut ejus Legatum aliud contigerit ordinari, sic tamen ut ejus curam utiliter administres. Datum ut in alia.

CITRIENSI ELECTO.

Epist. 115.
Episcopatus
Platamoniensis
comendatur.
E X eo te sedi apostolicae reverentiam &c. ut in alia usque constitutus, quòd cum ad Ecclesiae Citriensis regimen per electionem canonicam evocatus, quæ fuit per dilectum filium nostrum Benedictum tituli sanctae Susannae Presbyterum Cardinalem tunc apostolicae sedis Legatum postmodum confirmata, non possis de ipsius redditibus sustentari, nobilis vir Rolandus Piscius Princeps illius terrae tuae compatiens paupertati, episcopatum Platamoniensem contiguum tuo tibi voluit assignare, cujus concessioni &c. ut in alia usque in finem. Eadem data.

NOBILIBVS VIRIS DOMINIS
Thebarum.

Epist. 116.
Vt persolvant
decimas Ecclesie
Thebanæ.
N Obilitatem vestram rogandam duximus & monendam per apostolica
B b